

05

A

958





כַּשֵׁם יְהוָה אֱלֹהֵינוּ :

EXERCITATIO THEOLOGICA

De

VERA CHRISTI

DIVINITATE

Quam

Assistente, & juvante divina gratia

in

Celeberrima Wittebergensi Academia

Sub Præsidio

VIRI

Admodum Reverendi Clarissimi atq; Excellentissimi,

DN. JOHANNIS MEISNERI,

S.S.Theol. Doctoris & Professoris Publici, nec non

Alumnorum Electoralium Ephori,

Dn. Præceptoris, Patroni ac Mœcenatis sui Magni, omni

pietatis & observantiæ cultu æternum

prosequendi,

Publico Eruditorum Examine subiicit

ADRIANUS DAUTH BRUNSVICENSIS

Autor & Respondens.

In Auditorio majori ad diem Junioris matutinis.

WITTEBERGÆ.

Typis Johannis Röhneri, Acad. Typogr.

ANNO M DC LII.

V I R I S

*Amplissimis, Consultissimis, auctoritate eximia, prudentia singulari,
usuq; rerum multiplici præcellentissimis*

DNN. CONSVLIBVS, CAMERARIIS,
ac reliquis Senatoribus Patriæ celeberrimæq; Rei-
publ. Brunsv. Palæopol. meritisimis,

Domini Evergetis, Patronis ac Promotoribus suis Ma-
gnis, omni observantiæ cultu ætatem
prosequendis

*Disputationem hanc Theologicam in grati animi σημεῖον,
debita observantiæ τεκμήριον, sui commendationem,
favorem, amorem, novi deniq; anni auspiciū felicis-
simum humilimè*

D. D. D.

Adrianus Dauth, A. & R.

05 A 958





PRÆFATIO.



Ero consonum esse, quod de Christo Salvatore nostro Simeon ille grandævus Spiritu S. repletus ore vaticidico præ-nunciavit, quod positus sit *εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον* *in signum cui contradicatur* Luc. II. v. 34. in quem omnis impiõrum caterva certatim irruat, illumq; blasphemiiis, fan-nis, sarcasmis virulentis impetat & obru-at, id ipsum historiæ monumenta sa-tis superq; testantur. Nam ut cætera, quæ circa Christi personam aliàs confide-randa veniunt, taceamus, & divinæ ipsius naturæ, secundum quam unà cum Patre & Spiritu S. est verus & æternus Deus, tantùm mentionem faciamus, quot quæ-so, & quàm impii & scelerati homines re-perti usq; fuerunt, qui eam tum negare, tum impugnare non dubitarunt? Statim

A 2

post

post ascensionem Christi in caelos, etiam
adhuc superstite Johanne Apostolo &
Evangelista A.O.R. LXXII. & seqq. divi-
nitatem Christi palam impugnarunt Ce-
rinthus & Ebion, absq; omni verecundia
contendentes, Jesum Nazarenum esse
φιλονάνθρωπον nudum duntaxat hominem,
nec verè naturâ Deum, uti refert Eusebi-
us Hist. Eccles. lib. III. cap. XXIV. XXV.
Hos alii ejusdem farinae homines post se-
culum sunt secuti, nimirum Carpocra-
tes, Artemon & Theodotus Byzantius
Coriarius sive futor, qui perniciosissi-
mam illam doctrinam ab orco revoca-
runt, eandemq; causam, aliis quamvis ver-
bis, peragere conati sunt. Contende-
runt & illi, *Christum Servatorem nostrum
esse nudum hominem*, cujus doctrinæ du-
cem ac Patrem fuisse Theodotum testatur
Tertull. lib. I. de præscript. cap. LVI. Ean-
dem postmodum hæresin foverunt, Pau-
lus Samosatenus, ut & Arius, quorum ille
cum superioribus hæreticis statuit, *Chri-
stum*

stum naturâ esse communem hominem;
hic verò rem paulò aliter aggressus asse-
ruit eum in V. foedere omnino fuisse, etiã
ante omnes creaturas, dixitq; *Christum*
quidem esse Filium Dei, sed creatum: λόγον
sive Filium Dei appellavit κτίσμα καὶ ποίημα
ἐξ οὐκ ὄντων genitum & fuisse ποτὲν ὅταν ἐκ ἱ. Photinus
verò magnæ impietatis, conscie-
ratae atq; contumeliosæ in Deum opinio-
nis autor, negare nullus dubitavit, *Chri-*
stum in V. T. extitisse, contenditq; eum de
tempore N. T. postquam scilicet
ex matre Maria conceptus & in mundum
natus fuerat, cœpisse. Hæc verò Photini
hæresis licet ultra mille annos extincta
planè jacuerit atq; sepulta prorsus, eam
tamen ex abyssu infernali revocare cœ-
perunt Socinus, Osterodus, Enjedinus,
Smalzius, Crellius, Schlichtingius, im-
piè & blasphemè docendo: 1. *Christum sua*
origine naturâ esse purum putum homi-
nem. 2. *Christum esse Deum, sed creatum,*
factum & temporalem Deum, quod in

tempore nativitatis suæ corporalis ex
Maria Deitatem aliquam gratuito acce-
perit. Et si quæ sunt similia, quæ homines
illi improbi in divinam Servatoris nostri
majestatem evomere non sunt veriti, adeò
ut meritò cum Esaia vaticinandi peritis-
simo cap. XXVIII. v. 16. querendum sit,
pretiosum istum lapidem angularem
& fundatissimum à Jehova Deo in Sion
positum, factum esse lapidem offensio-
nis, & cesisse in signum contradictionis
Luc. II. v. 34. Quanquam verò Hæretici
illi hætenus allegati omnes, tam vetustio-
res quàm recentiores, solidè quondam
refutati sint, & adhuc strenuè refuten-
tur, doctrinaq; præterea de vera Christi
Divinitate tam clara & perspicua, Dei gra-
tiâ, hodiè sit & proponatur, ut nulla pror-
sus novæ dissertatione ea indigeat, lubuit
tamen & nobis hac vice quantum hume-
ri valeant tentare, atq; dissertationem ali-
quam de vera Christi Deitate exercitii
gratiâ conscribere. *Vita enim humana,*
uti

uti Gellius inquit lib. I. I. *proprie uti ferrum est: ferrum si exerceas conteritur: si non exerceas, tamen rubigo interficit: item homines exercendo conteruntur: si nihil exerceas inertia atque torpedo plus detrimenti affert quam exercitatio.* Proinde exercitii causa, uti dixi, aliquid tentemus, quod ut feliciter succedat faxit Servator noster Jesus.

Thesis I.

Rem igitur ab ovo quod ajunt, ut ordiamur, veram Filii Dei Divinitatem demonstrare possumus I. *ex divinis nominibus*, quia vocatur Jehova, ὁ κύριος, ὁ θεός, etiam cum articulo. II. *ex divinis attributis*, quæ reapse idem sunt cum essentia divina, uti sunt æternitas, infinitas, omnipotentia, omniscientia &c. III. *ex divinis operibus*, quæ sunt creatio, conservatio, redemptio &c. IV. *ex religioso cultu*, qui illi soli debetur. De singulis aliquid dicendum erit ordine.

II. Primam Deitatis Christi demonstrationem petimus à *nominibus divinis*. Siquidem Servator noster Christus expressè vocatur in sacris literis θεός, aliquando cum articulo Joh. I. v. 1. Act. XX. v. 28. I. Tim. II. v. 16. *Deus magnus* Tit. II. v. 13. *verus Deus* I. Joh. V. v. 20. *Deus super omnia benedictus* Rom IX. v. 5. *Deus altissimus* Luc. I. v. 76. Quæ appellatio Filio Dei absolutè & simpliciter competit; dii vero λεγόμενοι, sive ratione tituli, sive ratione exercitii, sive quocunq; respectu ita appellentur, cum quadam restrictione vocantur. Hinc rectè Irenæus lib. III. adversus hæres. cap. 6. inquit. *Cum eos, qui non sunt dii scriptura nominat; non*

in totum ostendit illos Deos, sed cum aliquo additamento & significatione, per quam ostenduntur non esse dii.

III. Alterum nomen, quod secundæ Deitatis Personæ in scriptura tribuitur, est ὁ κύριος Joh. XX. v. 28. ὁ κύριός μὲς καὶ ὁ Θεός μὲς, inquit Thomas ad Servatorem suum. μέγας θεσπότης καὶ κύριος Jud. v. 4. Sic Christus vocatur κύριος πάντων Act. X. v. 36. κύριος ἐξ ἑραυῶ I. Cor. II. v. 48. κύριος τῆς δόξης I. Cor. II. v. 8. κύριος οὐρανοῦ καὶ γῆς Matth. XXI. v. 27. Βασιλεὺς Βασιλέων, καὶ κύριος κυρίων Apoc. XIX. v. 16. Hæc vox respondet vocabulo Hebræo יהוה, quod juxta communem usum τετραγράμματος dicitur, cum constet quatuor literis integrantibus. Est verò vocabulum hoc solius Dei proprium, nec ulli creaturæ simpliciter & absolutè, directe seu in casu recto attribui potest. Quod comprobatur 1. ex Dei appropriatione quâ Deus ipse nomen hoc sibi soli vindicat. Exod. III. v. 14. 15. 16. Mosen hunc in modum alloquens: Sic ait Jehova Deus pater noster, hoc est nomen meum in seculum, & hoc est memoriale meum in generationem & generationem. Et cap. XLII. v. 8 vicissim inquit, Ego Jehova hoc est nomen meum & gloriam meam alteri non dabo. Conferatur cap. XLIII. v. 11, Jer XVI. v. 20 cap. XLIV. v. 26. Os. XII. v. 4. 2. ex oppositione: nomen enim hoc falsis, fictitiis ac λεγομένοις Θεοῖς directè opponitur, ita ut per illud verus Deus ab omnibus aliis, qui naturâ dii non sunt, distinguatur. Ut I. Reg. XII. v. 21. Quousq; tandem claudicatis in duas cogitationes? Si Jehova est Deus, ite post eum? Si verò Baal, ite post ipsum. & v. 22. vicissim dicit Elyahu ad populum. Ego remansi Propbeta Jehova solus: propbeta autē Baal sunt quadringenti & quinquaginti viri. 3. Ex singulari sanctorum locutione, quâ de vero Deo sic loquuntur ut eum peculiari nomine Jehova insignant, invocentq; ut Exod. XV v. 3. Jehova vir belli, Jehova nomen ejus, Psal. LXVI. v. 5. 6. Cantate Deo, Psallite nomini ejus, Jehova nomen ejus Esa. LIV. v. 40. Jehova exercituum nomen ejus, Redemptor tuus, Sanctus Israelis, Deus universæ terræ vocatur. Jer. I. v. 16. Non est sicut illa pars Jacob, quia plasmator omnium ipse est, & Jehova exercituum

cuum nomen ejus. 4. *Ex propria nominis Jehova significatione,*
qua denotatur atque exprimitur immutabilis atque inde-
pendens essentia, quæ per se semper est atque existit. Descē-
dit à radice יהוה, est, fuit, indeque Jehova dicitur is, qui
verè solus est *אֱלֹהִים* verè ens, essentia independens, per se,
subsistens, essentia immutabilis & æterna, essentia omni-
um essentiarum; Exod. III. v. 14. dicit Jehova ad Mosen: *Ero, qui*
ero; & paulò post: *Sic dices filiis Israelis, ero misit me ad vos.*
Quo ipso indicare voluit Dominus, se illo nomine conte-
stari, quod sit constans & immutabilis in essendo & pro-
mittendo in dictis ac factis. 5. *Ex unanimi Doctorum Ecclesiæ*
testificatione: Hi enim in eo conveniunt omnes, quod no-
men Jehova absolutè positum nunquam & nusquam ulli
rei præterquam soli Deo conveniat, docente Origine Ho-
mil. XIII in Num. Hilario lib. IV. de Trinit. Hier. epist. 36.
ad Marcellã. Quibus ad stipulatur B. Lutherus in comment.
super Gen. cap. III. graphicè ac notanter scribens: *Nomen*
Dei Jehova non pot. st. significare, ullam creaturam, sed simpliciter
ipsi soli Creatori attribuitur. Evolvatur quoque Tom. III. Wit-
teb. Lat. pag. 101. Dn. D. Gerh. in disput. Isagog. de Deo. Dn.
D. Wellerus in dem *Begweiser der Gottheit Christi*
pag. 70. Dn. D. Calovius in disput. super A. C.
pag. 278. §. 94. Toto igitur cœlo errant Ariani ut & Photi-
niani contendentes nomen illud creaturis quoque verè
competere ac absolutè tribui. Errat & Vorstius, quando
docet, etiam rebus creatis nomen Jehova attribui, utpote
altari à Mose exstructo, arcæ fœderis &c. Nec non Alstedius,
qui somniat nomen Jehova creaturis per metonymiam
tribui. Quos omnes refutatos invenimus apud D. Him-
mel, in Jrenic. disput. 2. Nos pro astruenda Servatoris
nostri Deitate tale necimus argumentum:

B

Cui

Cuicumq; propriè & absolutè tribuitur nomen Iehova, ille est verus naturâ Deus.

Atqui secunda Deitatis persona propriè & absolutè tribuitur nomen Iehova.

E. secunda Deitatis Persona est verus naturâ Deus.

Ratio majoris hæc est, quia nomen Iehova solius Dei proprium, nec ulli creaturæ simpliciter & absolutè, directè seu in casu recto assignari potest, id quod hæcenus satis demonstratum fuit. Ad minoris igitur probationem nos ut accingamus necesse est.

IV. Eam verò probamus ex plurimis scripturarum dictis. Sic Gen. XIX. v. 24. Filius Dei absolutè ac signanter Deus & Dominus Iehova vocatur, quando ibidem dicitur, quod pluerit Dominus à Domino sulphur & ignem super Sodomam & Gomorram. Quod dictum tum vetustiores, tum recentiores Ecclesiæ Doctores unanimi consensu de Christo Dei Filio interpretantur. Ut faltem unius vel alterius mentionem faciamus. Ignatius in epist. ad Antioch. hunc in modum scribit: *Moses unum & solum predicans Deum, confessus est statim etiam Dominum nostrum (Christum) dicens: Pluit Dominus super Sodomam & Gomorram ignem & sulphur à Domino de cælo.* Cui adstipulatur S. Irenæus qui lib. III. adversus hæreses cap. VI. pag. 260. postquam edocuerat Christum definitivè & absolutè dici Deum

Deum Dominumque, statim infert: *verè igitur cùm Pater sit Dominus & Filius verè sit Dominus: meritò Spiritus S. Domini appellatione signavit eos.* Nec abnuit S. Tertull. adversus Praxeam cap. XVII. pag 500. Filius est qui ab initio judicavit turrim superbissimam elidens linguasque disperdens, orbem totum aquarum violentia puniens, pluens super Sodomam & Gomorram ignem & sulphur de cœlo à Domino. Vide sis pl. Reverendum & Excell. Dn. D. Scharfium in dissertatione de Christi Divinitate pag. 32. ut & Reverendiss. Virum Dn. Jacobum Wellerum S.S. Theol. D. celeberrimum in dem Wegweiser der Gottheit Christi pag. 92. 93. &c. Unde luce meridianâ clarius patet, Jehovam illum qui à Patre pluisse dicitur sulphur & ignem de cœlo, neminem alium, quàm ipsum Dei Filium esse.

V. Deinde Christus Dei Filius in aliis quoque scripturarum dictis Jehova vocatur, siquidem est ille Jehova, qui apparuit Jacobo Gen. XXVI II. v. 13. 19. 20. quo cum luctatus est Jacob Gen. XXXII. v. 25. Est Deus fortis Gen. XXXIII. v. 20. Deus Abrahæ, Isaaci & Jacobi, qui apparuit Mosi in ardenti rubo Exod. III. v. 2. 3. Est Jehova Deus exaudiens preces & suspiria populi Exod. II. v. 24, 28. Est ille Jehova de quo David ore pronuntiavit vaticinatio, quod sit Dominus Deus in supernis II. Sam. VII. v. 18. 19. *Quis ego sum, inquit, Domine Jehova, & quæ est domus mea, quod adduxisti me hucusq;? Aspexisti me, velut in forma hominis, qui in supernis est Dominus Deus.* Est Jehova cui omnes Reges & Judices serviant Psalm. II. v. 10. 11. 12. Jehova Pater noster Psalm. XXIII. v. 1. Jehova fortis & potens, Jehova exercituum, Rex gloriæ Psalm. XXIV. v. 8. 10. Est verbum Jehovæ Ps. XXXIII. v. 6. Est Jehova Deus salutis Esa. XII. v. 24. cap. XX. v. 9. Est Jehova per quem salvamur Os. I. v. 7. Jehova justitia nostra Jer. XXIII. v. 6. cap. XXXIII. v. 19. Est Dominus per quem preces nostræ exaudiuntur Dan. IX. v. 17.

In hisce scripturarum locis omnibus Christo Servatori nostro nomen Jehova tribui, & quidem simpliciter, proprie & directè seu in casu recto, nemo unquam inficiabitur. Et sic probavimus quoq; minorem propositionem, quæ cum sit satis solida & firma, Et etiam conclusio stabit invicta: quod Christus sit verus naturâ Deus.

VI. Tantum de nominibus divinis. Jam progredimur ad attributa divina essentialia, quæ cum sint realiter unum atq; idem cum ipsa divina essentia, proinde ex illis vera Servatoris nostri Deitas solidè inferri potest. Primum igitur attributum, quod Christo in scriptura sacra tribuitur est *æternitas*, quia est à Patre ab æterno genitus. Tu es Filius meus dilectus, inquit Pater æternus de æterno Filio, hodiè genui Te Ps. II. v. 7. ubi per vocabulum *hodiè* non nisi perpetua æternitas intelligitur, ut semper fieri solet, cum de æterna Christi nativitate sermo est, utpote hic loci. Et enim in absoluta & simplicissima Divinitate, & intra arcanum S.S. Trinitatis sinum nihil creatum, nihilq; mutabile cogitari potest Mal. III. v. 6. Jac. I. v. 17. Ubi autem nihil creatum, nihil mutabile, ibi etiam nullum est tempus, sed perpetua æternitas, & *ἄνω* sive nunc & instans quoddam *ἄχρονον*, nullam temporis rationem habens. Apud Deum igitur mera est æternitas, & perpetuum esse, nihil ibi fuit, nihil erit quod non sit, sed fuit, est & erit Apoc. I. v. 8. & cap. XXI. cap. XXII. v. 13. apud Deum enim mille anni sunt ut dies unus, & dies unus ut mille anni Ps. XC. v. 4. & II. Pet. III. v. 8. Hæc æternitas rectè vocatur hodiè & dies instans. In fontibus *מִיָּמִין* hic dies, quia apud Deum non est heri quod præterierit & non sit, neque cras quod futurum sit, sed omnia sunt præsentissima, nunc atque hodiè, & dies æternitatis Mich. V. v. 1. In hac æternitate apud Deum Christus secundum Divinitatem suam est genitus, sicut ipse substantialis Dei sapientia de se testatur Prov.

VIII.

VIII.v.22. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquā faceret, ex eo principio *אֶתְחַלְתִּים מִתְּחִלָּתָא* à seculo inuncta fui, ante principium & ante primordium terræ, ut habet textus originalis, qui locus sat fundamentalis pro astruenda Christi æternitate adduci solet. Sic Christus in principio jam tum erat Joh. I.v.i. habuit gloriam apud Patrem antequam mundus fuit conditus Joh. III.v.3. vocatur Pater æternus Esa. IX.v.6. tribuitur ei spiritus æternus, hoc est, Deitas æterna Hrb. IX.v.14. vocatur vita æterna I.Joh. V. Ac propter æternitatem designandam tribuuntur illi capilli candidi tanquam lana Apoc. I.v.14. Sic de Deo Patre antiquo dierum dicitur, quod capilli ejus quasi lana munda Dan. VII.v.9. unde Rupertus in cap. I. Apoc. graphicè sic commentatur: *Hujus atque illius capilli capitis aequè candidi sunt, & uterq; per candorem capitis senex ostenditur nulla distantia, quia nec anno, nec mense, nec die, nec hora, nec puncto temporis Filius iste junior est illo tam sene Patre suo &c.*

VIII. Alterum attributum divinum, quod secundæ Deitatis Personæ competit est *Infinitas & omnipræsentia*. Hinc referri possunt illa scripturarum dicta, quæ Filium Deum in cœlo fuisse etiam ante incarnationem testantur: proinde non coepit esse persona in sua ex Maria nativitate, sed jam antè secundum divinam naturam in cœlo ac terra fuit præsentissimus, ideoque infinitus. Idcirco ipse Servator dicit Joh. VI.v.34. *se de cœlo descendisse, & à Patre in mundum missum esse Joh. XV.v.36. Nec non à Patre exiisse cap. XVI.v.20.* Ergò extitit ante suam ex Maria nativitatem, unde incarnatio ejus vocatur *manifestatio in carne I. Tim. II.v.26. assumptio seminis Abrabæ Heb. II.v.26.* Sic quoque *usque ad finem mundi se nobiscum fore* promittit Matth. XVIII.v.20. Sedulo autem hinc observandum est, quod omnipræsentia non sit quidem ipsa infinitas & immensitas essentialis, in-

terim dicta quæ de omnipresencia loquuntur, ad infinitatis & immensitatis probationem rectè accommodantur, quia Christus ut Deus essentialiter est omniprensens, non quia humana natura essentialiter est infinita, nec quia per unionem facta est infinita, & immensa, sed quia in infinitam λόγος ὑπόστασιν per unionem personalem est euecta, & ad illocalem Dei dextram per exaltationem collocata.

VII. Tertium attributum est *omnipotentia*. Vocatur enim Deus omnipotens Apoc. I. v. 8. *Ego sum α & ω, principium & finis dicit Dominus, qui est, & qui erat, & qui venturus est, ille inquam omnipotens.* Christum autem ibidem loqui, nemo unquam negare poterit. Sic Christus dicitur *virtus Dei* I. Cor. I. v. 24. Luc. IV. v. 35. & גביר אלהים. *El Gibbor, Deus fortis* Esa. IX. v. 6. tribuitur ipsi efficax vix, quæ possit sibi *subjicere omnia* Philipp. III. v. 20. *Omnia ipsi à patre dicuntur tradita* Joh. I. v. 35.

IX. Quartum attributum complectitur *omniscientiam*, quia vocatur ipsa *sapientia* Prov. VIII. v. 22. Matth. XI. v. 19. Luc. II. v. 49. I. Cor. I. v. 24. *novit omnia* Joh. XVI. v. 30. cap. XXI. v. 17. *novit quid sit in homine* Joh. II. v. 25. *probat corda & renes* Apoc. II. v. 23. *Quod est solius Dei proprium* I. Reg. VIII. v. 39. Jer. XVII. v. 9. *Reconditi sunt in ipso omnes thesauri sapientia & scientia* Col. II. v. 3. Quin imò annunciat passim in concionibus suis quæ sunt futura, quod itidem Deus sibi soli vendicat, Esa. XLI. v. 21. & cap. XLV. v. 21. dicens: *Annunciate & accedere facite, insuper consilium ineant simul, quis audire fecit hoc ab initio, & annuntiavit illud: annon Ego Jehova?* Nihil autem est quod objicitur, Christo attributum hoc non verè competere, cum dicat ipse, *se à Patre audivisse quæ loquitur* Joh. VIII. v. 27. siquidem id vel ad humanam ejus naturam referendum, ut more humano sit dictum, quod nihil

nihil novi in ministerio proferat, sed idem illud, quod Pater celestis ipsi prædicandum demandaverat: vel quod Christus à Patre audiat, non discendo quod ignorabat, sed eandem cum Patre naturam per æternam generationem accipiendo, docente Cyrillo, Chryf. & Augustino.

X. Sequitur attributum quintum, quod Christo Servatori nostro tribuitur, & est *immortalitas*. Non enim *vita solum in ipso esse* dicitur Joh. I. v. 4. Sed etiam *vitam in seipso habere asseritur* Joh. V. v. 26. imò ipsa vita dicitur, Joh. XIV. v. 6. I. Joh. I. v. 2. & *Dux vite* Act. III. v. 15. *verbum vite* I. Joh. I. v. 2 cum in ipso vita non sit accidentaliter, sed essentialiter. Frustrà hinc excipiunt Adversarii, *Christum non esse vitam ipsam, cum à Patre acceperit vitam*. Etenim sicut Pater vitam habet in seipso, ita dedit & Filio vitam habere in semetipso. Itaque nascendo ex Patre totam ab eo accepit eandemque essentiam, ac proinde omnem potestatem, omnem sapientiam, omnem vitam. Denique Christo tribuitur *aqualitas* cum Patre Joh. V. v. 18. Philip. II. v. 6. propter quam habere dicitur *omnia quæ Pater habet* Joh. XVI. v. 15. imò esse *unum cum Patre* Joh. X. v. 30. I. Joh. V. v. 7. ac tota plenitudo Deitatis in ipso habitare asseritur Col. II. v. 9. Hæc quoque dicta sunt de attributis divinis, quæ cum nullius, nisi solius Dei propria sint, Christoque passim in Sacris tribuantur, rectè ex illis inferri potest, Christum esse naturam verum Deum. Cætera Divinitatis idiomata brevitatis causâ omittimus, cum uno horum concessio, cætera omnia concedantur.

XV. Porro veram Christi Deitatem demonstramus *ex operibus divinis*, quæ ipsi in S. Scriptura tribuuntur: uti sunt creatio & omnium rerum conservatio, miraculorum patratio, generis humani redemptio, peccatorum remissio, salvatio &c. *tribuitur Christo Creatio*, quod comprobatum damus non tantum ex illis scripturarum dictis, quæ testantur *tribus distinctis personis, videlicet Patri, Filio & Spiritui*.

Spiritui S. opus creationis attribui, utpote Gen. I. v. 2. & seqq.
Psalm. XXXIII. v. 6. verum etiam ex illis, quæ opus creatio-
nis secundæ Deitatis personæ distinctæ & in specie assignant.
Sic Deus dicitur per suam sapientiam, potentiam, & omni-
potens verbum omnia condidisse Job. XXVI. v. 12. Prov. III.
v. 19. *Jehova in sapientia fundavit terram, stabilivit cælos in
intelligentia Pl. CIV. v. 24. Quam multiplicata sunt opera tua
Jehova? Omnia ipsa in sapientia fecisti Jer. X. v. 22. Jehova fecit
terram potentia sua, & stabilivit orbem sapientia sua cap. XX XI.
v. 17. Domine Jehova ecce tu fecisti cælum & terram potentia tua
magna. Sap. IX. v. 1. Deus Patrum ac Domine misericordia omnia
creasti verbo tuo. Atqui illa sapientia est Dei Filius, hyposta-
tica Dei sapientia Prov. VIII. v. 30. Illa potentia est hypo-
statica Dei potentia, Filius nempe Dei Esa. XXII v. 10. cap.
LIII. v. 1. Illud Dei verbum est Dei Filius, verbum illud, cu-
jus mentio fit Joh I v. 2. & dicitur, quod per illud omnia
facta sint, non tanquam per instrumentum (quod Socinus
contra Bellarm. cap. 5. class. 3. argum. 13. pag. 337. ex præpo-
sitione *dià*, quam non principalem, sed instrumentalem
causam notare delirat, elicere non dubitat.) Sed ut perso-
nam divinam Patri creatori consubstantialem, ut per Filium
unigenitum, ac virtutem essentialem personaliter à Pa-
tre distinctam. Huc pertinet etiam collatio locorum, in qui-
bus dicta, quæ de creatore & creatione in V. T. loquuntur,
in N. T. ad Filium Dei applicantur. Sic quod Pl. CII. v. 16. di-
citur: *Initio tu Domine fundasti terram, & opera manuum tuarum
sunt cæli*: id in epist. ad Hebræos cap. I. v. 10. applicatur
ad Filium. Quod Esa. XLVIII. v. 12. dicitur: *Ego sum primus
& v. 13. manus mea fundavit terram, & dextera mea palmo men-
sa est cælos*: illud Apoc. I. v. 17. ad Christum Filium Dei refer-
tur. Cum itaque opus creationis secundæ Deitatis Personæ
tribuatur, illudque soli Deo competat, uti constat ex cap.
XLIV. v. 24. Esa. cap. XLV. v. 7. Jer. X. v. 11. rectè igitur conclu-
dimus Christum esse verum naturâ Deum. Concidit ergo
Vorstii*

Vorstii Photinianizantis de Deo pag. 225. ex eo quod creatio alicui tribuitur, æternitatem & divinitatem ejus non posse colligi.

XII. Deinde Christo in Scriptura tribuitur omnium rerum *conservatio*, quæ nihil est aliud, quàm continuatio quædam essendi, proinde est opus solius Dei proprium, quippe qui solus in principio creavit omnia. Sic Christus dicitur omnia portare, hoc est, facere, sustentare, conservare, & quidem portat non quædam, sed τὰ πάντα verbo potentiaæ suæ, i. e. potentissimo suo verbo ac nutu. Omnia in illo consistunt (συνέστηκε) conservat totum mundi systema, quòd aliàs dissolveretur. Tribuitur quoque Christo 3. *miraculorum patratio*, quâ de re vide sis D. Gerh. Tom. I. de Deo Patre & æterno ejus Filio pag. 470. & seqq. ut & Exegesi ejusdem pag. 416. 4. Christus genus humanum redemit. *Vidit Jehova quòd non esset Vir, & admiratus est quòd non esset qui intercederet: itaque salutem fecit brachium ejus & justitia ejus ipsa confirmavit eum* Esa. LIX. v. 16. Sanguine suo redemit Ecclesiam (requirebatur enim sanguis ad opus redemptionis) Act. XX. v. 28. In illo mundus reconciliatus est Deo II. Cor. V. v. 19. Ipse est 5. qui remittit peccata nobis, quòd nulli hominum competit. *Ego Ego, dicit Dominus* Esa. XLIII. v. 25. *deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor amplius:* hinc Pharisei dicunt Luc. V. v. 21. *Quis peccata remittere potest nisi solus Deus?* At, inquires, Apostoli ac fideles ipsorum successores remittunt & remittere possunt peccata. E. remissio illa non erit amplius opus divinũ solius Dei propriũ. Resp. Christus remittit peccata, ut causa efficiens principalis, Apostoli verò & fideles ejus successores, ut causa efficiens ministerialis. Christus remissionem peccatorum confert ut Mediator, qui eam precioso sanguinis sui λύτρω προμεruit: sed Apostoli & ejus successores remittunt Christi nomine, tanquam dispensatores boni alieni I. Cor. IV. v. 1. 6. Deniq; Christus summæ beatitudinis participes facit homines, quòd ipsam similiter opus verè divinum solius Dei proprium est. Hinc gentium Doctor notanter
C dicit

Uicit Act. IV. v. 9. *Non est in alio salus, sicut etiam verus & æter-
ternus Deus Esa. XLIII. v. 11. Ego Ego Jehova, & extra me non
est Salvator, quod repetitur cap. XLIV. v. 21. Sic Os. XIII.
Dominus ait. Ex me tantum salus tua Israel. Quo pertinent
quoque dicta omnia, in quibus Deus dicitur Salvator I. Tim.
I. v. 1. cap. II. v. 3. cap. IV. v. 10. in quibus dicitur Jesus, cujus
nominis explicationem coelitus allatam dat Angelus Matt.
I. v. 23. *Salvum faciet, inquit, populum suum à peccatis ipsorum.*
Et hæc sufficiant etiam de operibus divinis quæ Christo in
sacris literis tribuuntur.*

XIII. Sequitur jam quarta & ultima argumentorum
clâsis *ab honore & cultu soli Deo debito petita.* Etenim Fi-
lio Dei serviendum est Ps. LXXII. v. 11. Dan. VII. v. 14. Joh.
XII. v. 26. & quidem ut Domino, cui omnes gentes, imò et-
iam ipsi Angeli serviunt Matth. IV. v. 11. In ipsum est cre-
dendum, fiduciaq; cordis collocanda, & quidem eodem
fidei actu, quo in Patrem credimus Joh. XIV. v. 1. Hinc rectè
Augustinus lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos cap. 3. cre-
dendum nobis est ut in Patrem, ita & in Christum Jesum
ejus. Pater sine Filio credi non potest, quia licet distincta sit
in eis personarum proprietates, tamen una est & indiscreta
majestas. Christus quoque diligendus est Joh. VIII. v. 42. cap.
XV. v. 14. & seqq. & quidem super omnia, ut propter ipsum
domum, fratres, sorores, parentes, uxorem & omnia relin-
quamus Matth. X. v. 37. Luc. XIV. v. 26. Est timendus, non au-
tem servili, sed filiali timore I. Cor. X. v. 9. atque eo qui soli
Deo competit Luc. XII. v. 5. Apoc. I. v. 18. Est religiosè ado-
randus & invocandus Psalm. XXII. v. 28. Psalm. XLV. v. 12. Ps.
LXX. v. 11. Sic Filium Dei in V. T. invocavit Patriarcha Ja-
cob, eiq; votum vovit Gen. XXVIII. v. 20. Similiter ab eo-
dem petiit benedictionem pro nepotibus suis Josephi filiis
Gen. XLVIII. v. 16. quæ benedictio est omnipotentis Dei
Gen. XLIX. v. 15. Ita in N. T. mulier Cananæa ipsum invocavit
ejusq; opē pro filia imploravit. Matt. XV. v. 22. Apoc. V. v. 14.
dicitur, quod viginti quatuor senes ceciderint in facies suas,
& adorarint eum qui vivit in secula seculorum &c. Fruo-
strâ

Atque autem hic excepiunt Neo-Samosateniani, Deum adorari
& invocari tanquam causam salutis primam: filium autem tan-
quam secundariam: cum Pater, Filius & Spiritus S. una atque
indivisa adoratione à nobis invocetur, neque cultus adora-
tionis ita dividatur, ut Filium tanquam inferiorem invoce-
mus; Christus enim debet honorari ab omnibus pari modo
na. Dñs honoratur Pater Joh. V. v. 23. Imò sibi ipsi contradi-
cunt Adversarii modò nominati, quia fatentur Christum ta-
li adoratione adorandum, quæ precipitur in primo præcepto: in
omnibus omninò necessitatibus Christum invocari posse: cum ple-
na fiducia auxilii Christum invocandum esse. Atqui hæc non
possunt, nisi de illa adoratione dici, quæ soli vero Deo com-
petit. Denique in nomen filii æquè & æqualiter ac in no-
men Patris baptizamur Matth. XXVIII. v. 29. Baptizatio ve-
rò in nomen Christi est firmum atque solidum Divinitatis
Christi argumentum. Sicut enim circumcisio in V. T. erat
fœdus inter verum Deum & hominem circumcissum, ita
baptismus, qui in novo fœdere successit in circumcisionis
locum est ουειδήςσεως ἀγαθῆς ἐπέρωτημα εἰς Θεόν Col. II. v. 11.
I. Pet. III. v. 21.

Ex hisce omnibus coronidis loco tale
nectimus argumentum. Cuicumque modo
divino 1. serviendum 2. & confidendum,
3. qui est super omnia diligendus 4. & ti-
mendus 5. qui & adorandus, & 6. in cuius
nomen baptizamur, ille est verus & eter-
nus Deus.

Atqui secunda Deitatis Persona, Fi-
lio nempe Dei modo divino 1. est servien-
dum, 2. & confidendum. 3. est super omnia
dili-

diligendus, 4. Et timendus, 5. est adorandus
Et 6. in eius nomen baptizamur. Quae
membra omnia Et singula haecenus ex sa-
cris literis probavimus.

*E. Secunda Deitatis persona, Filius
nempe Dei, est verus Et aeternus Deus.*

Atque haec sunt quatuor illae argumentorum classes,
quibus veram Filii Dei divinitatem comprobavimus, per-
stant eae & perstabunt in aeternum contra quoscunq; Antio-
christorum insultus immotae. Tu vero Deus O. M. da inter-
rim nobis cognoscere Te, & quem misisti Christum

Jesum, cui una Tecum & Spiritu S. sit

Gloria.

F I N I S.

Aeterni Christus Patris est aeterna propago:
Aeternus pariter dicitur ipse Pater.

Sunt haec mira quidem: tamen esse haec vera fatendum est:

Christus Et aeternus Filius Et Pater est.

Filius ipse sui Patris est aeternus, ab illo

Aeternum genitus: sic nequit esse Pater.

Ut vero nomen Patris est commune tremendis

Personis Triados; non nequit esse Pater.

Et sic concordant quae discordare videntur:

Filius aeternus perpetuus Pater est.

Sunt haec certa satis: nec non bene nomen utrumq;

Aeternum Christum comprobat esse Deum.

Hoc tua cum tractet sacra Dissertatio, DAUTHI,

Expositum mirae dexteritate Thema:

Gratular egregiis Tibi de conatibus: istos

Is, cujus pugnas pro Deitate, juvet!

Eximio Dn Respondenti, Disputationis Auctori, Sympa-
triotae Et Convictori suo pl dilecto, Imq; f.

M. Petrus Ernestus T weibomius.

05 A 952

ULB Halle 3
003 761 231




1077

20







כְּשֵׁם יְהוָה אֱלֹהֵינוּ ;
EXERCITATIO THEOLOGICA
De
**VERA CHRISTI
DIVINITATE**

Quam
Assistente, & juvante divina gratia

in
Celeberrima Wittebergensi Academia

Sub Præsidio

VIRI

Admodum Reverendi Clarissimi atq; Excellentissimi,

DN. JOHANNIS MEISNERI,
S.S.Theol. Doctoris & Professoris Publici, nec non
Alumnorum Electoralium Ephori,
Dn. Præceptoris, Patroni ac Mœcenatis sui Magni, omni
pietatis & observantiæ cultu æternum
prosequendi,

Publico Eruditorum Examine subiicit

ADRIANUS DAUTH BRUNSVICENSIS
Autor & Respondens.

In Auditorio majori ad diem Junioris matutinis.

WITTEBERGÆ.

Typis Johannis Röhneri, Acad. Typogr.
ANNO M DC LII.